

1499 majorem hostium navem convertit: quam cum essent ambo consecuti, injectis manibus ferreis eam religant. Erant in nave Thracia milites mille, qui se cominus acriter fortiterque defendebant. Id dum fit, ignis in navem hostium jactus puppim succendit: qui extingui cum non posset, neque nostris navibus explicandi se ab illa facultas daretur, vento latus naves Venetas comprehendit: ita tres earum classium maximæ instructissimæque naves conflagraverunt. Sed fuit quidem eorum, qui in navi Thracia erant, longe casus atque fors melior: propterea quod Turcæ reliqui ubi suam comburi navem viderunt, biremes naviculasque aliquot eo celeriter miserunt: eæ biremes atque naviculæ, qui se in mare projecerant milites, quod necesse erat fieri, eis auxilio fuerunt, omnesque sustulerunt. Nostri homines, quibus in tempore subsidium adesse non potuit, cæsi ab iis, qui suis venerant auxilio, omnes interierunt, præter paucos ex utraque navi, quos Thomas Duodus, qui in oneraria erat, suæ navis scapha sublatos conservavit: præterque Albanum, quem Turcæ inter suos e mari captum sustulerunt. Procefferat eodem impetu atque ardore animi una cum Albano cumque Lauredano navis alia oneraria non ita magna, ut naves Thracias adoriretur: sed ea pilis ferreis ab hostium navibus pugnae initio coniectis depressa, suis cum militibus interiit. Unus Vincentius Polanus triremem, cui præerat (erat autem ex iis, quæ ad mercaturam instituuntur) in classem Thraciam magno animo intulit. Is parvo temporis spatio circumscriptus ab hostium longis navibus omnis generis compluribusque, cum se fortissime horas duas defendisset, navesque hostium nonnullas tormentis perforavisset, ipsos audacter in ejus sæpe navem conscendentes interfecisset, aliquot ex suis amisisset, vulnerata parte plurima, coorto forte vento, velisque factis, se se hostibus eripuit. Ex reliquis reipublicæ navibus nulla cominus congressa, pilis tantum e longinquo emissis, omnes in mare dexteram ad partem classe hostium relicta abierunt: ex quibus Aloisius Marcellus in navem hostium